Danskernes Historie Online
Danske Slægtsforskeres Bibliotek

Dette værk er downloadet fra Danskernes Historie Online

Danskernes Historie Online er Danmarks største digitaliseringsprojekt af litteratur inden for emner som personalhistorie, lokalhistorie og slægtsforskning. Biblioteket hører under den almennyttige forening Danske Slægtsforskere. Vi bevarer vores fælles kulturarv, digitaliserer den og stiller den til rådighed for alle interesserede.

Støt Danskernes Historie Online - Bliv sponsor
Som sponsor i biblioteket opnår du en række fordele. Læs mere om fordele og sponsorat her: https://slaegtsbibliotek.dk/sponsorat

Ophavsret
Biblioteket indeholder værker både med og uden ophavsret. For værker, som er omfattet af ophavsret, må PDF-filen kun benyttes til personligt brug.

Links
Slægtsforskernes Bibliotek: https://slaegtsbibliotek.dk
Danske Slægtsforskere: https://slaegt.dk

Zur

oeffentlichen Prüfung

und zu

den Rede- und Gesang-Uebungen,

welche

Montag den 25. März, Vor- und Nachmittag

im

Saale des Königl. Gymnasiums

gehalten werden sollen,

so wie

zur Entlassung der Abiturienten

ladet ganz ergebenst ein

der Direktor

Gottlieb Theodor Fabian.

Inhalt:

1) De constructione particulae quum. Pars altera.
2) Schulnachrichten von Ostern 1849 bis Ostern 1850. Beides vom Direktor.

Tilsit, 1850.

De constructione particulae quum. Pars altera.*)

Deinceps dicendum est de iis locis, quibus particula „quum" significat „wenn (wann), so oft, als." In his enim rursus videmus et indicativum et conjunctivum poni solitum, in judicando praes. et perf., in narrando imperf. et plusquamperf. Quum te aedilem fieri oportuisse dicis, populi culpam, non competitoris accusas. Cic. Planc. 4., 9. — At cum tuis quum disseras, multa sunt audienda etiam de obscoenis voluptatibus. Cic. Fin 2, 21, 68, ubi sine causa idonea nonnulli quum mutare voluerunt in si.

Causa autem conjunctivi secundo loco positi repetenda est a sententia infinita. Primo enim exemplo „quum dicis" significatur certum illud tempus, ubi alter dixit. Secundo autem loco non de certo tempore agitur, quo alter disserit, sed de quocunque tempore quo disserat; disserere igitur illud non ita ponitur, ut revera aliquo tempore sit, sed ut esse possit, quod conjunctivo notatur et tum maxime fieri solet, quum subjectum etiam incertum est et secunda persona effertur; cf. Madwig: lat. Sprachlehre § 370. Ex quo genere omnia exempla sunt, quae reperiuntur

*) Prior pars hujus dissertationis typis excussa est in programmate Gymnasii Regiomontani Kniphofiensis a. 1844. Hanc alteram partem in locum dissertationis ad id paratae subito dare coactus quoniam retractare non potui, excusatum velim, si qua negligentiae signa reperiantur.

apud Plautum et Terentium nec ea quidem pauca, quod eo magis mirum videri possit, quum conjunctivi usum apud illos scriptores rariorem esse viderimus. Nam praeter haec exempla: Plaut. Casin. 3, 2, 32: at quum aspicias tristem, frugi censeas. — Trin. 3, 2, 1: cui tuam quum rem credideris, sine omni cura dormias. — Terent. Heaut. 5, 3, 21: rem quum videas, — censeas. — Phorm. 2, 2, 30: haec quum rationem ineas, quam sint suavia et quam cara sint, ea qui praebet, nonne tu hunc habeas praesentem deum? — In quibus fortasse quispiam dixerit conjunctivum cum particula „quum" junctum referendum esse ad alterum conjunctivum in enuntiato primario positum, multi alii loci sunt, quibus nec ad enuntiati primarii conjunctivum revocari potest. conjunctivus secundarii enuntiati, nec dubium est, quin rem infinite dictam significet. Plaut. Trin. 4, 3, 45: quum repetas (mutuum) inimicum amicum beneficio invenis tuo — Merc. 3, 4, 23: odiosa est oratio, quum rem agas, longinquum loqui. — Ep. 5, 2, 53: sed ut acerbum est, pro benefactis quum mali messem metas. — Pseud 2, 2, 18: non soles respicere te, quum dicas injuste alteri. — ib. 1, 2, 9: at faciem quum adspicias, haud malae videntur. — Bacch. 3, 3, 36: quum patrem adeas postulatum, puero sic dicit pater. — Pers. 3, 1, 28: infamia etiam tum vivit, quum esse credas mortuam. (Capt. 5, 2, 8? Merc. 3, 2, 7?). — Ter. Andr. 5, 1, 20: quum faciem videas, videtur esse quantivis pretii. — Eun. 4, 3, 17: virgo ipsa lacrumat, neque quum rogites, quid sit, audet dicere. — ib. 5, 1, 22: vide, si non, quum adspicias, os impudens videtur. — Cic. Rept. 1, 6: non igitur potestas est, ex tempore, aut quum velis, opitulandi reipublicae, nisi eo loco sis. — p. Quinct. 20, 63: non est istud judicium pati, neque judicio defendere, quum auxilium a tribunis petas. — Cic. Tusc. 1, 36, 87: quia quum id non habeas, quod tibi nec usu nec natura sit aptum, non careas, etiamsi sentias te non habere, et § 88: dicitur enim alio modo etiam carere, quum aliquid non habeas, et non habere te sentias, etiamsi id facile patiare. — Sic Sall. Cat. 52: ubi te ignaviae atque socordiae tradideris, nequidquam deos implores. — Et quod Zumptius laudavit Sall. Cat. 3, ubi memores. Interdum etiam cum tertia persona verbi: Cic. off. 1, 8: plerosque justitiae capit oblivio, quum in gloriae certamen inciderint. — ib. 2, 26, 69: quin etiam beneficium se dedisse arbitrantur, quum ipsi quamvis magnum aliquid acceperint. — Acc. 2, 38, 121: quis enim potest, quum existimet se curari a deo, non et dies et noctes divinum numen horrere? — d. divin. 1, 55: fatum autem id appello, quum causa causae nexa rem ex se gignat. — Nam Cic. p. Rosc. Am. 20, 55: quum enim aliquid habeat, quod possit criminari et suspiciose dicere, aperte ludificari et calumniari sciens non videatur, et Plaut. Bacch. 1. 1, 24:

miles quum veniat, et Casin. 2, 5, 27: quum redierit (nisi forte est fut. II.), et Capt. 4, 2, 112, quum jurem — agitur de re incerta, wenn er haben — kommen — zurückkehren, wenn ich schwören möchte, et Cic. leg Man. 7, 17: quod mihi extremum proposueram, quum essem de belli genere dicturus — est ex sententia loquentis dictum: wenn ich sprechen würde.

Quum autem in judicando agitur de re aut persona certa, constanter indicativus temporum praesentium et futurorum ponitur. Cic. Repl. 1, 34: quum is, qui imperat aliis, servit ipse nulli cupiditati. — Tusc. 5, 6, 16: sic animi quietus et placatus status cernitur, quum perturbatio nulla est, qua moveri queat. — Div. 1, 30: quum ergo est somno sevocatus animus a societate et contagione corporis, tum meminit praeteritorum. — Div. 2, 22 ex.: utrum igitur, quum concepit mula, an quum peperit, ostentum est? — Liv. 29, 17 ex: vix ratio iniri potest, uter casus reipublicae sit detestabilior, quum hostes bello urbem cepere, an quum exitiabilis tyrannus vi atque armis oppressit. — Cic. Verr. II., 2, 55: quum confitebere, quisquam dubitabit? — Acc. 1, 7, 25: quin etiam Graecis (verbis) licebit utar, quum voles, si te Latina forte deficient. — Rosc. Am. 35, 100: quae si prodierit, atque adeo quum prodierit (scio enim proditurum esse) audiet. — Atque etiam in iis locis, quibus positae sunt res aut temporibus aut personis non finitae, indicativus ponitur, nisi forte is, qui loquitur de industria id agit, ut dubitationis aut rei incertae significatio verbis suis adjuncta sit, id quod vidimus in exemplis supra positis.

Solet enim is, qui loquitur, etiamsi non de certa una re, sed de universo genere agit, certam quandam animo intueri et in ea dicere, quod ad omnes pertinet. Velut quum Cic. leg. Man. 6, 15, dicit: quum hostium copiae non longe absunt, pecora relinquuntur — nec de certis hostibus agit, nec de certo tempore, quo adveniant, sed omnes hostes omniaque tempora animo complectitur uno hostium adventu, ut nos quoque wenn der Feind ankommt, quasi de certo hoste agatur, et illud, „der brave Mann denkt an sich selbst zuletzt," ubi nos in persona unius viri fortis loquimur de omnibus; huc etiam pertinet illud Graecorum δεῖ τοῦ ἀνδρός, et consuetudo illa Homeri, qui in similibus ponendis aoristo uti solet.

Quoniam igitur, quum de rebus infinitis loquuntur, certas ponere solent, in quibus conjunctivus locum non habet, non mirum est, quod Latini vulgo in ejusmodi locis utuntur indicativo. Cic. Divin. 1, 52 ex.: quum igitur eae partes in extis non ieperiuntur, sine quibus victima illa vivere nequisset, intelligendum est sq. — rb. 2, 34 ex.: quum pascuntur, necesse est aliquid ex ore cadere. — Tusc. 1, 28, 70:

haec quum cernimus, possumusne dubitare? — Cf. ibid. 1, 31, 76. 1, 7, 13. Acc. 2, 5, 13. Repl. 2, 3 ex. 1, 3. Verr. II., 3, 74. Off. 1, 10, 31. Liv. 31, 1. Cic. pro Rosc. Am. 22, 62. Perf. sequente tum: Cic. Divin. 2, 31: quae quum facta sunt, tum ad conjecturam aliqua interpretatione revocantur. — ib. 2, 34: quum offa cecidit ex ore pullae, tum auspicanti tripudium solistimum renuntiant. p. l. g. Man. 6, 15: nam ceteris in rebus quum venit calamitas, tum detrimentum accipitur. — Tusc. 3, 1, 2. Divin 1, 30. — Perfectum sine tum: Cic. Tusc. 4, 10, 23: quemadmodum quum sanguis corruptus est, aut pituita redundat aut bilis, in corpore morbi aegrotationesque nascuntur. — d. Repl. 1, 34: hoc errore vulgi quum rempubl. opes paucorum, non virtutes tenere coeperunt, nomen illi principes optimatum mordicus tenent. — ib 1, 44: sic omnia nimia quum vel in tempestate, vel in agris, vel in corporibus laetiora fuerunt, in contraria fere convertuntur. — Liv. 22, 9: quod non fere decernitur nisi quum taetra prodigia nuntiata sunt. Cic. Tusc. 5, 35, 102. —

Similis ratio est in narrando, ubi aut plusquamperfectum indicativi aut plusquamperfectum et imperfectum conjunctivi antecedit et imperfectum indicativi sequitur. Hoc loco praecipit Zumpt Gr. § 579: so steht auch bei oft wiederholten Handlungen, worauf im Nachsatze das Imperf. folgt, quum mit dem Plusquamp. Indicat. — et § 569: endlich ist noch der Fall zu merken, daß in der Erzählung nach pronom. und adverb. relativis zuweilen der Conj. des Imperf. oder Plusquamp. gesetzt wird, wenn von einer wiederholten Handlung die Rede ist, (wo im Griechischen die Relativa mit dem Optativ stehen), et extrema paragrapho: Der Indikativ ist jedoch in diesem Falle ebenfalls gebräuchlich und noch häufiger, als der Konjunctiv.

In quo illud me semper offendit, quod particulam „quum" in iteratis rebus cum indicativo, pronomina et adverbia relativa iisdem locis cum conjunctivo conjungi dicit, quasi vero duae res contrariae ab eadem causa repetendae sint.

At fortasse noluit causam addere, sed tantum loquendi consuetudinem notare. Illud tamen haud ambigue dixit § 579 iterationem indicativo significari et posito conjunctivo insequente perfecto (quum venisset-delatus est) sententiam ultimi exempli mutari, i. e. si recte intelligo, verbis: quum venisset-delatus est-non rem iteratam, sed semel actam narrari. Hoc si verum est, non conjunctivo posito effectum esse censeo, sed perfecto. Tamen ne hoc quidem omnino verum esse videmus ex Nep. Att. 2: quum versuram facere publice necesse esset, neque ejus aequam conditionem haberent, semper se interposuit. cf. Cic. Rep. 2, 34. Ego vero sic sentio: crebram iterationem, aut ut Zumptius ipse § 569 extrema rectius dixit, rem infinitam nunquam indicativo posse significari, et si quis velit eam significare, ut in Graeco sermone optativo,

sic in Latino conjunctivo utendum esse, non quo conjunctivus per se (ut egregie de optativo ait Herrm. ad Viger. p. 904) iterationem indicet, sed quod hic modus, quoniam ad cogitata tantum refertur, ubi de pluribus factis sermo est, non certum aliquod factum designat, sed quodcunque ex illis pluribus intelligere quis velit. Itaque non pronominibus et adverbiis relativis magis, quam particulae nostrae ad crebram illam repetitionem notandam conjunctivus adjungitur. Cujus consuetudinis multa exempla reperiuntur apud Livium, ut l. 35, 28: ubi Philopoemen quopiam iter faceret et ad difficilem transitu locum venisset, contemplatus ab omni parte loci naturam, quum solus iret, secum ipse agitabat animo, quum comites haberet, ab iis quaerebat. — l. 2, 27: desperato enim consulum senatusque auxilio quum in jus duci debitorem vidissent, undique convolabant. — ib.: neque quum decresset, quisquam obtemperabat. — ib. 3, 14 ex.: nunquam ulli neque publice neque privatim truces esse, nisi quum de lege agi coeptum esset; alibi popularis juventus erat. — ib. 33, 5: quum castra his ante objectis sepsissent, facilis molitio eorum valli erat. — Caes. civ. 2, 41: quum cohortes ex acie procucurrissent, Numidae integri celeritate impetum nostrorum effugiebant. — ib. 3, 47: non illis hordeum quum daretur, non legumina recusabant. — ib. 3, 48: ex his effectus panis, quum in colloquiis Pompejani famem nostris objectarent, vulgo in eos jaciebant. — Cic. Repl. 1, 14: hanc sphaeram Gallus quum moveret, — fiebat sq. — ib. 2, 34: semperque huic generi, quum plebes publica calamitate impendiis debilitata deficeret, salutis omnium causa aliqua sublevatio et medicina quaesita est. — Hoc loco, ut Nep. Att. 2 in enuntiato primario imperfecti loco perfectum positum videmus cum adverbio semper. — Cic. d. Divin. 1, 4, 5: et quum imperator exercitum, censor populum lustraret, bonis nominibus, qui hostias ducerent, eligebantur. — ib. 1, 43: quoties senatus decemviros ad libros ire jussit? Nam et quum duo visi soles essent, et quum tres lunae, et quum faces, et quum sol nocte visus esset, et quum e caelo fremitus auditus, et quum caelum discessisse visum est atque in eo animadversi globi — hoc loco plusquamperfecto conjunctivi illarum rerum crebram repetitionem, perfecto indicativi certam quandam rem indicare voluisse mihi videtur. Plusquamperfectum conjunctivi, quod continuo post sequitur: „quum terra desedisset" — non repetitionem designat, sed rem certo tempore actam; „quum" autem est „als," de quo loco paullo post viderimus; alia exempla vide apud Krüger lat. Gram. § 624, l. sq. Verum tamen haud dubium est, quin indicativus imperfecti et plusquamperfecti in hoc genere cum particula „quum" copuletur, atque etiam illud concesserim, apud Ciceronem crebriorem fortasse usum esse indicativi quam

conjunctivi. Tamen indicativi illi non per se significant repetitionem, sed, ut est natura illorum temporum relativorum, indicant, eum qui ita loquatur, cogitatione se transtulisse in illud tempus, quo quid aut gerebatur aut gestum erat idque quasi suis oculis intueri et, ut ipse percipiat, describere et certam unam rem pro universis ponere. Idem vulgo facit Homerus in similibus ponendis ut rem non infinite ponat, sed quasi ipsam, ut gerebatur, intueri videatur. Sic etiam illud Cic. Verr. II., 5, 10 laudatum apud Zumptium § 579: „quum venerat" est rem animo intuentis et ita describentis, nec verba ipsa per se significant repetitionem, et quum vertimus „so oft — als" non tam vim particulae Latinae, quam nostram loquendi consuetudinem sequimur. Idem hoc valet in aliis exemplis: Cic. off. 3, 9: quum palam ejus annuli ad palmam converterat, a nullo videbatur. — Acc. 2, 30, 98: quum aliquid ejusmodi inciderat, sic ludere Carneades solebat. — ib. 2, 47, 145: nam quum extensis digitis adversam manum ostenderat, visum inquiebat hujusmodi esse; deinde, quum paullum digitos constrinxerat, assensus hujusmodi, tum, quum plane compresserat, pugnumque fecerat, comprehensionem illam esse dicebat, quum autem laevam manum adverterat, et illum pugnum arcte vehementerque compresserat, scientiam talem esse dicebat.— ib. 2, 18: hi, quum ovum inspexerant, quae id gallina peperisset, dicere solebant. — Orat 32, 113: nam quum compresserat digitos pugnumque fecerat dialecticam ajebat ejusmodi esse, quum autem diduxerat et manum dilatarat, palmae illius similem eloquentiam esse dicebat, Tusc. 5, 20, 59: eum ipsum ponticulum quum forem vestibuli clauserat, detorquebat. — Caes. Gall. 3, 15: quum singulis binae aut ternae naves circumsteterant, summa vi milites transcendere conabantur. — il. 3. 14: quum funes comprehensi adductique erant, navigio remis incitato perrumpebantur. — ib. 4, 17: haec quum machinationibus in flumen defixerat, festucisque adegerat, iis item contraria duo statuebat. — ib. 5, 35: quum quaepiam cohors ex orbe excesserat, atque impetum fecerat, hostes velocissime refugiebant, rursus quum in eum locum, unde erant egressi, reverti coeperant, et ab iis qui proxime steterant, circumveniebantur. cf. Caes. C. 2, 41. — Sall. Jug. 4, 4, 4: Albinus plerumque milites stativis castris habebat, nisi quum odos aut pabuli egestas locum mutare coëgerat. — Liv. 38, 21: alii ruentes in hostem undique configebantur, et quum cominus venerant, gladiis a velitibus trucidabantur. — apud Livium autem indicativi usus in hoc genere rarior est. — Huc etiam pertinent Cic. Acc. 1, 3 et Colum. 1, praef. 18, quae duo exempla Krüger l. l. § 427 minus recte revocat ad significationem „während, indem, so lange als."

V. Quum „als, seitdem."

Quum res praeteritae referuntur, hoc aut ita fit, ut eas de statu temporis nostri referamus (perfecto), aut cogitatione transeamus in illud tempus, quo aut gerebantur aut gestae erant (imperfecto et plusquamperfecto); tum eas tanquam ipsi intuentes describimus. Eodem modo etiam in enuntiatis a particula quum ductis Latini aut perfecto utuntur aut imperfecto et plusquamperfecto indicativi: quum bellum gestum est, quum bellum gerebatur, quum bellum gestum erat. — Primum ejus est, qui de temporis sui statu rem, ut praeteritam, refert, secundum et tertium ejus, qui animo et cogitatione se transfert in illud tempus, quo bellum aut gerebatur aut gestum erat, — idque quasi oculis suis subjectum describit. Qui perfecto utitur tantum re temporis indicandi causa notata progreditur; qui imperfecto utitur, tanquam in ea intuenda commoratur. Perfecto igitur celeritatis cujusdam significatio adhaerescit, imperfecto morae.

Neque tamen ex hoc sequitur, ut ea, quae celeriter praeterierint, perfecto, quae diu duraverint imperfecto comprehendenda sint. Tempora enim illa non tam ad rem referuntur, quam ad cogitationem loquentis, ut et res manentes, si velit, possit efferre perfecto, et celeriter praetereuntes imperfecto. Et his quidem duobus temporum generibus scriptores pro suo quisque ingenio variare solent orationem suam, ut ii, qui animi causa peregrinantur, modo subsistunt capti amoenitate regionum, modo celeriter transcurrunt. —

Huc accedit tertium genus narrandi. Potest enim is, qui narrando duas res conjungit, non modo temporis rationem habere, sed etiam interiorem rerum nexum spectare. Hoc quum faciunt Latini, ut supra vidimus, utuntur conjunctivo et nostro quidem loco imperfecto et plusquamperfecto nunquam praesenti aut perfecto conjunctivi, quae duo tempora praeteriti temporis significatione utique carent; cf. Herling l. l. p. 128. Et ita quidem Latini vulgo loquuntur: Quum bellum in Africa gereretur (nunquam geratur) — gestum esset (nunquam gestum sit), Romae magna exspectatio fuit. — Qui ita loquitur, bello gerendo aut bello gesto motam exspectationem sua sententia indicat, qui si dixisset quum bellum gerebatur, gestum est, gestum erat, tantum, quo tempore gestum esset bellum, significasset. Hujus consuetudinis exempla quum reperiantur sexcenta, nihil attinet hoc loco multa colligere. Nonnulla tantum ponam, in quibus nos indicativum exspectamus ut Cic. Tusc. 2, 11, 26: fuisti saepe, credo, quum Athenis esses, in scholis philosophorum. — ib 2, 14, 34: nonnunquam etiam, ut quum ibi essem audiebam, ad necem (pueri verberibus accipiuntur). Utroque loco poterat haud dubie, si tempus tantum notare voluisset, scribere: quum eras — quum eram.

sed conjunctivis istis simul videtur voluisse notare causam cur fuisset in scholis phil. et cur audivisset. Cic. p. leg. Man. 17, 52: nam tu idem, Hortensi, multa pro tua fumma copia et singulari facultate dicendi et in senatu contra virum fortissimum A. Gabinium graviter ornateque dixisti, quum is de uno imperatore contra praedones constituendo legem promulgasset sq.; poterat etiam scribere promulgavit, sed et eo tempore, quo et simul quod promulgaverat, contra dixit. — Cic. Divin. 1, 37 ex.: quod contigisse Brenno dicitur, quum fano Apollinis Delphici nefarium bellum intulisset — conjunctivo indicat, causam hanc fuisse, cur illud Brenno contigisset. — p. Ligar. 7, 20: Tuberonis sors conjecta est ex senatus consulto, quum ipse non adesset, morbo etiam impediretur; (paullo ante tempore tantum notato scripsit: eo tempore, quum necesse erat, — tum quum paruit nemo.) Hoc nostro loco praeter temporis significationem significare voluisse videtur rem contrariam i. e. quoniam ipse non aderat, non gratia ejus aut opibus potuisse fieri, ut sors conjiceretur. Sed longum est singulos locos persequi, praesertim quum dubitari non possit, quin multis locis, quibus ex nostra sentiendi ratione praeter temporis nulla significatio subjecta esse videtur, tamen conjunctivus positus reperiatur, ut Cic. Repl. 1, 15: memini, me admodum adulescentulo, quum pater in Macedonia consul esset, et essemus in castris, perturbari exercitum nostrum religione et metu sq ; aut in formula ista: Flaccum audivi, quum diceret Cic. Dom. 1, 46 in., in quibus quid praeter tempus significare voluerit, nos non sentimus; sentiremus nos quoque haud dubie si ad causam notandam conjunctivo uteremur. — Temporis enim et causae significatio quam arcte cohaereat jam supra ostendi in particula nostra weil „(Weile)". Interdum etiam in eadem periodo indicativo et conjunctivo usos esse videmus. Cic. p. Sext. 32, 69: quae res quum jam moribus teneretur et quum consules provinciarum pactione libertatem omnem perdidissent, qui quum in senatu, privati ut de me sententias dicerent, flagitabantur, legem illi se Clodiam timere dicebant, quum haec non possent jam diutius sustinere, initur consilium de interitu Cn. Pompeji. — Indicativo tanquam in parenthesi tempus indicatur, quo consilium initum est; conjunctivi jam ab initio ad causam consilii ineundi referuntur. — Liv. 44, 39: quanto facilius hosti abire fuit, quum procul abessemus, quam nunc, quum in cervicibus sumus. In extrema sententia temporis tantum ratio habita est, quod etiam significatur posita particula nunc, in priore quum procúl abessemus simul causa continetur, cur abire hosti facilius fuerit.— Liv. 30, 44: quum spolia victae Carthagini detrahebantur (est describentis), quum inermem jam ac nudam, destitui inter tot armatas gentes cerneretis (est rem ut

alteri contrariam ponentis) nemo ingemuit. — Cic. Tusc. 2, 24, 59: num etiam Decius, quum se devoveret et equo admisso in mediam aciem Latinam irruebat, aliquid de voluptatibus suis cogitabat? irruebat est describentis, devoveret narrantis, sed ita, ut simul se devovere et de voluptatibus cogitare parum inter se convenire dicat, non ut Goerenz ad h. l. voluit: als er sich opfern wollte, ut recte monet Fickenscher, allgem. Schulztg, II, 1828 n. 75.

Quum vero unum tempus indicatur, indicativus ponitur imperfecti, plusquamperfecti, perfecti atque etiam praesentis eo, quo ante dixi, significationis discrimine, idque tum quidem maxime fieri solet, quum temporis enuntiatum aut interpositum aut postpositum est. Neque tamen desunt loci, quibus etiam antepositum quum in judicando tum in narrando et cum imperfecto et cum plusquamperfecto et cum perfecto et praesenti reperiatur. Cic. Divin. 1, 45: quod neglectum, quum caveri poterat, post acceptam illam maximam cladem expiatum est. — p. Planc. 18, 45: isto in genere fuimus ipsi, quum ambitionis nostrae tempora postulabant. — Fin. 2. 19, 63: at quam pulchre dicere videbare, quum ex altera parte ponebas cumulatum aliquem plurimis et maximis voluptatibus. — Verr. II., 3, 86: nam quum fructus diripiebantur aratorum, atque omni lacerabantur injuria, videbatur id perdere arator, quod aratro ipso quaesisset. — Verr. II., 3, 77 in: quum enim a civitatibus pro frumento pecuniam exigebas, unde erat frumentum, quod Romam mitteres. (enuntiatum interpositum). — Liv. 36, 7; quum agebatur. — Liv. 3, 68: quum stipendia faciebatis. — Cic. Divin. 1, 45: quum poterat. — Fam. 1, 9, 5: quum cernebam. — ib 3, 7, 3: quum dabas literas. — ib. 3, 11, 3: quum flagitabam. — ib. 12, 24, 2: quum scribebam. — cf. 5, 12, 2. — ad Att. 15, 13, 5. — Verr. II. 4, 61 p. m.; quum diutius in negotio curaque fueram — revertebar. — de Invent. 1, 3, 4: hinc nimium non injuria quum ad gubernacula reipublicae temerarii atque audaces homines accesserant, maxima ac miserrima naufragia fiebant. — Perfectum: Cic. leg. Man. 12, 33: nam quid ego Ostiense incommodum, atque illam labem atque ignominiam reipublicae querar, quum prope inspectantibus vobis classis ea, cui consul populi Romani praepositus esset, a praedonibus capta atque oppressa est? — Quum non est „da", ut paullo ante quater positum est cum conjunctivo, sed „damals, als". — leg. Man. 1, 2: nam quum propter dilationem comitiorum ter praetor primus centuriis cunctis renuntiatus sum, facile intellexi. sq.: essem simul significaret, renuntiatione ista factum esse, ut intelligeret. — Liv. 9, 8: quae sententia testis erit, mihine an legionibus vestris pepercerim, quum me seu turpi seu necessaria sponsione obstrinxi. — Cic. p.

Planc. 8, 19: quum viderunt — laetati sunt. — Liv. 8, 8: in ultimo etiam certamine quum discensum in aciem est, ea severitas profuit. — ib. 9, 25; quum dimicatum est. — 22, 36: quum pugnatum ad Cannas est. — ib. 23, 20: quum jussi sunt. — ib. 34, 3: quum fuit. — cf. Nep. Them. 9, 2. — Liv. 34, 31: quum pepigisti. — Cic. Fam. 12, 14, 8: quum vidi.—ib. 13, 75, 1: quum respondisti.—Att. 13, 49, 2: quum fui. — Fam. 3, 8, 4: quum edixi. — Liv. 6, 20: quum dies venit, quae — objecta sint reo, apud neminem auctorem invenio. — ib. 21, 39: quum Placentiam consul venit, jam ex stativis moverat Hannibal.— ib. 23, 49: quum hi commeatus venerunt Illiturgi, oppidum ab Hasdrubale oppugnabatur. — ib. 28, 3: prima pars quum adorta oppugnare est, atrox sane et anceps proelium fuit. — ib. 34, 16 in.: quum Tarraconem venit, jam omnis cis Iberum Hispania perdomita erat. — ib. 45, 24: quum haec in Macedonia Epiroque gesta sunt, legati in Asiam pervenerunt.—ib. 21, 28; quum elephanti in minorem (ratem) transgressi sunt, — pertrahitur. — ib. 3, 14, in: quum primo post Kaesonis exilium lex coepta ferri est, instructi paratique sic tribunos adorti sunt. — Sall. Jug. 71, 1: sed quum hac literae adlatae, forte Nobdalsa exercito corpore fessus in lecto quiescebat, ubi recte Kritz rejectis lectionibus fuissent, essent, forent, sunt intelligi vult. — Nep. Pelop. 2, 2: quum tempus visum est reigerendae — diem delegerunt. — id Iphic. 2, 4: quum Artaxerxes Aegyptio regi bellum inferre voluit, Iphicratem ab Atheniensibus petivit ducem. — Cic. Verr. II. 4, 14 in.: eo quum veni, praetor quiescebat. — ib. Fam. 10, 30, 4: quo quum venit, complures ibi amisit nec egit quidquam. — Semel etiam sequente tamen Cic. Verr. II., 3, 54, in. cum praesenti historico: Cic. Verr. II., 2, 52: Herodotus quum Roma revertitur, — offendit eum mensem comitialem. — Divin. 2, 10: hoc sentit Homerus, quum querentem Jovem inducit. —

Quoniam igitur indicativi usum in hoc genere haud ita rarum, ut vulgo putatur, esse videmus, minus etiam mirum videbitur, quod praegressis adverbiis ac substantivis temporis indicativus omnium temporum, nisi alia causa conjunctivi ponendi accedat, vulgo reperiatur. Cic. d. Repl.: 2, 23: ut tum fuit Roma, quum erant reges. — ib. 2, 34: post aliquanto, quum sunt propter unius libidinem omnia nexa civium liberata. — ib. 2, 32: quae fuit tum Atheniensium res, quum post magnum illud Peloponnesiacum bellum triginta viri illi urbi injustissime praefuerunt. — Divin. 1, 17: tum, quum urbem condidit. — ib. 1, 50: tum, quum urbs corruit. — Liv. 10, 8: tum, quum adjectus est numerus.— ib. 28, 24: tum, quum rumores allati sunt. — Cic. Fam. 7, 30, 1: tum, quum hinc profugisti. — ib. 12, 6, 1. —

Verr. II., 2, 23. 66. — tum postpositum est Cic. Verr. II, 2, 25 ex.: quum Metellus in provinciam profectus est, tum isti bene commendati cum Metello una proficiscuntur. — Verr. II. 1, 18: postea, quum in ea ipsa loca venisti. — Liv. 5, 52 in.: nuper, quum obiit. — Liv. 34, 31: nunc, quum intueor. — Cic. d. Repl. 1, 33: quo autem modo assequi poterat Lacedaemon illa tum, quum praestare putabatur disciplina reipublicae, ut bonis uteretur justisque regibus, quum (ba) esset habendus rex, quicunque genere regio natus esset? — Divin. 2, 9: Marcone Crasso putas utile fuisse tum, quum maximis opibus fortunisque florebat, scire sibi esse pereundum? — ib. 1, 41: ex. — ib. 2, 1: tum, quum tenebamus. — Tusc. 2, 8, 20: videamus Herculem ipsum, qui tum dolore frangebatur, quum immortalitatem ipsa morte quaerebat. — p. leg. Man. 17, 53: tum — quum capiebantur, quum — prohibebamur, quum clausa erant nobis omnia maria. — ib. 18, 55: tum, quum — timebat. — p. Planc. 15, 37: tum, quum agebatur. — Acc. 2, 22, 71: tum, quum placebat. — p. leg. Man. 7, 18: tum, quum amiserant. — ib. 17, 53: — Interdum etiam positum quum cum indicativo videmus in oratione obliqua. Cic. p. Arch. p. 4, 7: si tum, quum lex ferebatur in Italia domicilium habuissent. — p. leg. Man. 14, 41.— Philip. 2, 9. — Liv. 34, 4 in. —

In exemplis his omnibus una temporis ratio habita est, et ita quidem, ut tempus aut leviter verbis notatum sit, aut in eo describendo oratio quasi subsistat. — Quum vero particula tum ita postposita est particulae quum, ut sententia enuntiati primarii ex secundaria consecuta esse dicatur, aut quum temporis particula ita anteposita est, ut sententia a particula quum ducta specie quidem ad temporis particulam pertineat, revera autem ad verbum enuntiati primarii referatur, cujus aut causam subjungit, aut rem ei contrariam, tum conjunctivus ponitur. Ex quo apparet, posse interdum eum, qui loquatur, suo judicio (prout aut temporis magis rationem habeat, aut causae) indicativo vel conjunctivo uti.

Prioris generis sunt: Cic. Div. 2, 2, 49: quae quum ille dixisset, tum ego rursus sum exorsus dicere. — Phil. 5, 7: quum is dies, quo me adesse jusserat, venisset, tum vero agmine quadrato in aedem Concordiae venit. — Liv. 8, 33: Quum deprecantibus primoribus patrum atque universo senatu perstaret in incepto immitis animus, tum pater M Fabius, quandoquidem, inquit sq, — et eodem capite repente pro tum posito: vocato extemplo senatu, quum maxime conquereretur, apud patres vim atque injuriam dictatoris, repente strepitus ante curiam lictorum submoventium auditur. — Extremo hoc exemplo conjunctivo conquereretur is qui

Druck von Heinr. Post in Tilsit.

Verr. II., 2, 23. 66. — tum postpositum est Cic. Verr. II, 2, 25 ex.: quum Metellus in provinciam profectus est, tum isti bene commendati cum Metello una proficiscuntur. — Verr. II. 1, 18: postea, quum in ea ipsa loca venisti. — Liv. 5, 52 in.: nuper, quum obiit. — Liv. 34, 31: nunc, quum intueor. — Cic. d. Repl. 1, 33: quo autem modo assequi poterat Lacedaemon illa tum, quum praestare putabatur disciplina reipublicae, ut bonis uteretur justisque regibus, quum (ba) esset habendus rex, quicunque genere regio natus esset? — Divin. 2, 9: Marcone Crasso putas utile fuisse tum, quum maximis opibus fortunisque florebat, scire sibi esse pereundum? — ib. 1, 41: ex. — ib. 2, 1: tum, quum tenebamus. — Tusc. 2, 8, 20: videamus Herculem ipsum, qui tum dolore frangebatur, quum immortalitatem ipsa morte quaerebat. — p. leg. Man. 17, 53: tum — quum capiebantur, quum — prohibebamur, quum clausa erant nobis omnia maria. — ib. 18, 55: tum, quum — timebat. — p. Planc. 15, 37: tum, quum agebatur. — Acc. 2, 22, 71: tum, quum placebat. — p. leg. Man. 7, 18: tum, quum amiserant. — ib. 17, 53: — Interdum etiam positum quum cum indicativo videmus in oratione obliqua. Cic. p. Arch. p. 4, 7: si tum, quum lex ferebatur in Italia domicilium habuissent. — p. leg. Man. 14, 41.— Philip. 2, 9. — Liv. 34, 4 in. —

In exemplis his omnibus una temporis ratio habita est, et ita quidem, ut tempus aut leviter verbis notatum sit, aut in eo describendo oratio quasi subsistat. — Quum vero particula tum ita postposita est particulae quum, ut sententia enuntiati primarii ex secundaria consecuta esse dicatur, aut quum temporis particula ita anteposita est, ut sententia a particula quum ducta specie quidem ad temporis particulam pertineat, revera autem ad verbum enuntiati primarii referatur, cujus aut causam subjungit, aut rem ei contrariam, tum conjunctivus ponitur. Ex quo apparet, posse interdum eum, qui loquatur, suo judicio (prout aut temporis magis rationem habeat, aut causae) indicativo vel conjunctivo uti.

Prioris generis sunt: Cic. Div. 2, 2, 49: quae quum ille dixisset, tum ego rursus sum exorsus dicere. — Phil. 5, 7: quum is dies, quo me adesse jusserat, venisset, tum vero agmine quadrato in aedem Concordiae venit. — Liv. 8, 33: Quum deprecantibus primoribus patrum atque universo senatu perstaret in incepto immitis animus, tum pater M Fabius, quandoquidem, inquit sq, — et eodem capite repente pro tum posito: vocato extemplo senatu, quum maxime conquereretur, apud patres vim atque injuriam dictatoris, repente strepitus ante curiam lictorum submoventium auditur. — Extremo hoc exemplo conjunctivo conquereretur is qui

loquitur cogitatione jam praeoccupat ea, quae sequuntur audientiumque erigit exspectationem; quum conquerebatur tempus tantum indicaret, quo strepitus auditus est; denique etiam poterat dicere: conquerebatur, quum repente auditur, de quo infra dicetur. Et in superiore quidem exemplo non tempus tantum notatur, quo Fabius dixit, sed simul hoc designatur, Papirii perseverantia effectum esse, ut Fabius diceret. Similis interpretatio est reliquorum exemplorum, quam veram esse etiam docet exemplum supra laudatum: Cic. Verr. II., 2, 25 ex., ubi si quis profectus est mutare velit in: quum profectus esset, simul totam sententiam mutaret. —

Alterius generis sunt: Liv. 31, 7 m: et quod tum fecimus, quum Hannibalem hostem in Italia haberemus, id nunc pulso Hannibale cunctamur facere? — ib. 31, 16 ex.: postea, quum jam vix sustinerent obsidionem, spem tantum auxilii ex propinquo ostendit. — Cic. Phil. 2, 44: Tarquinium Brutus est bello persecutus, qui tum rex fuit, quum esse Romae regem liceret. — In his quum est idem quod quamvis. — Verr. II. 3, 41: antea, quum equester ordo judicaret, improbi et rapaces magistratus in provinciis inserviebant publicanis — et tempus et causa simul indicatur. Similiter Tusc. 2, 24, 59: num tum ingemuisse Epaminondam putas, quum una cum sanguine vitam effluere sentiret; ubi conjectura Ernestii tum in tu mutantis non necessaria est. — Liv. 27, 49: postremo, quum haud dubia fortuna hostium esset, concitato equo se in cohortem Romanam immisit. — Liv. 31, 17, in.: postea, quum et muri pars strata ruinis, et ad interiorem raptim oppositum murum cuniculis jam perventum esset, legatos ad regem de conditionibus tradendae urbis miserunt. — Cic. p. leg. Mem. 1, 2: nunc, quum et auctoritatis in me tantum sit; hoc loco ne potuit quidem indicativo uti, nisi vellet immodestus esse. — ib. 10, 27: nunc, quum sit unus Cn. Pompejus. — 17, 50: nunc, quum ad ceteras utilitates haec quoque opportunitas adjungatur sq. — Non erat igitur, quod Zumpt. § 579 Anm. diceret: p. Mur. 3, 8 tum, quum peteres; nunc, quum petas; et 3, 6 nunc, quum omnes causae ad misericordiam me vocent — antecedit tum, quum desiderabat — conjunctivos pugnare cum vulgari Latinorum consuetudine; priore enim loco quum est quamvis, extremo quod, ut Cic. Att. 13, 23, 1. Alterum tamen, quod eodem loco dicit, cum studio quodam conjunctivum et temporum maxime praeteritorum cum hac particula conjunxisse, quin recte praeceperit, haud dubium est. Nam in locis ejusmodi ut Cic. Fam. 8, 1, 2: eos sermones repressit, qui tum fuerant, quum Romae nos essemus. — Nep. Datam. 8. in.: pari se virtute postea praebuit, quum Autophradates jussu regis bello persequeretur eos, qui defecerant — vix quisquam possit, nisi argutari velit,

ad interiores quasdam causas revocare. Cic. Divin. 1, 35 est oratio obliqua; apud Plautum autem Pers. 3, 1, 28: infamia etiam tum vivit, quum esse credas mortuam; quum credas est „wenn man glauben sollte."

Quum vero substantiva tempus indicantia praecedunt, quum idem est, quod quo, quibus aut ex quo, et indicativum sibi adsciscit. Cic. Lael. 3, 12: hoc tamen vere licet dicere, illum diem clarissimum fuisse, quum (quo) senatu dimisso domum reductus ad vesperam est a patribus conscriptis. — Phil. 1, 12: quem potes recordari in vita illuxisse tibi diem laetiorem, quam quum expiato foro — te domum recepisti; pergit deinde perfecto, tum ter imperfecto, ubi „quum" semper est i. q. quo. — Phil. 2, 45: recordare igitur illum, M. Antoni, diem, quo dictaturam sustulisti. — ib. 2, 18: recordare tempus illud, quum pater Curio moerens jacebat in lecto sq. — Off. 1, 22: neque plus Africanus in exscindenda Numantia reipublicae profuit, quam eodem tempore P. Nasica privatus, quum Ti. Gracchum interemit. — Planc. 41, 99: o acerbam mihi judices memoriam temporis illius et loci, quum hic in me incidit, quum complexus est, conspersitque lacrimis nec loqui prae moerore potuit; — et paullo post: o reliquos omnes dies noctesque, quibus iste a me non recedens Thessalonicam me in quaestorium perduxit. — ib. 42, 101: memini neque unquam obliviscar noctis illius, quum pollicebar. — p. Ligar. 7, 20: atque ille eo tempore paruit, quum parere senatui necesse erat, vos tum paruistis, quum paruit nemo, qui noluit. — p. leg. Man. 15, 44: an vero ullam usquam esse oram tam desertam putatis, quo non illius diei fama pervaserit, quum universus populus Romanus sibi Cn. Pompejum imperatorem depoposcit? — p. Rosc. Am. 18: nae tu, Eruci, esses accusator ridiculus, si illis temporibus natus esses, quum ab aratro arcessebantur, qui consules fierent. — Caes. l. G. 1, 40: patrum nostrorum memoria, quum videbatur. — Sall. Jug. 91, 1: denique sexto die, quum ad flumen ventum est, maxima vis utrium effecta. — quum est quo, non ut Kritz ad hunc locum vult: ex quo; utres enim in itinere faciendos curaverat, ut paullo ante Sall. dicit. — Verr. II., 1, 6: ego meum studium in rempublicam jam illo tempore ostendi, quum consuetudinem retuli. — Liv. 27, 44 in: Romae haud minus terroris ac tumultus erat, quam fuerat biennio ante, quum castra Punica objecta Romanis moenibus portisque fuerant. — Nep. Con. 1, 2: fuit etiam extremo Peloponnesio bello praetor, quum apud Aegos flumen copiae Atheniensium a Lysandro sunt devictae. — cf. 4, 3. — Ter. Adelph. 3, 3, 30: videre videor diem illum, quum hic egens profugiet aliquo militatum. — Plaut. Pers. 1, 3, 57: nondum

sex menses sunt, quum (ex quo) huc commigravit. — Trin. 4, 3, 3: jamdudum factum est, quum abisti domum. — Cic. Divin. 2, 36, 71: quam multi anni sunt, quum bella a proconsulibus et propraetoribus administrantur, qui auspicia non habent. — Fam. 15, 14, 1: multi enim anni sunt, quum ille in meo aere est. — 15, 16, 3: triennium est, quum remisisti. - cf. 10, 23, 3. — Liv. 9, 33: permulti anni jam erant, quum inter patricios magistratus tribunosque nulla certamina fuerant. — Sic constanter indicativus ponitur; itaque Cic. Att. 13, 12, 3 processerit mutandum videtur in processit.

Interdum tamen etiam in his locis ponitur conjunctivus, ut Cic. Verr. II., 5, 31: illo autem tempore iste, tametsi ea est hominis impudentia, quam nostis, ipse tamen, quum vir esset Syracusis, uxorem ejus parum poterat animo soluto ac libero tot in acta dies secum habere. — in quo tamen manifestum est quum significare causam. Minus hoc apparet Cic. Rosc. Am. 6, 16: hic quum omni tempore nobilitatis fautor fuisset, tum hoc proximo tumultu, quum omnium nobilium dignitas et salus in discrimen veniret, praeter ceteros in ea vicinitate eam partem causamque defendit; — tamen hoc quoque loco quum veniret indicat causam, cur defenderit; si tempus tantum designare voluisset, scripsisset quum venit. Sic etiam Phil. 2, 2: poteras autem eo tempore auguratum petere, quum in Italia Curio non esset? aut tum quum es factus, unam tribum sine Curione ferre potuisses? Negat enim quod Curio in Italia non fuisset, eo tempore eum potuisse anguratum petere. — Repl. 3, 32 ex.: quae fuit tum Atheniensium res, quum post magnum illud Peloponnesiacum bellum triginta viri illi urbi injustissime praefuerunt; — et paullo post: quid, quum decemviri Romae sine provocatione fuerunt, tertio illo anno, quum vindicias amisisset ipsa libertas? populi nulla res erat, imo vero id populus egit, ut rem suam recuperaret. — bis tempus tantum notat; extremo loco simul dicit, eam ipsam causam fuisse, cur populi nulla res fuerit. — Verr. II., 2, 40 in.: quum vero abs te tui capitis causa peteret hominesque certos domo misisset, hique eo tempore ad te venissent, quum tibi in integro tota res esset sq. — conjunctivus extremus quasi comprehendi mihi videtur priore, sicut Divin. 1, 35: haud dubie ab oratione obliqua repetendus est conjunctivus. De locis autem Caes. b. G. 6, 24. Varr. R. R. 3, 1, 1; jam supra dictum est. — Cic. Att. 3, 3: utinam diem illum videam, quum tibi gratias agam. — Ter. Hecyr. 4, 4, 30: hunc videre saepe optabamus diem, quum ex te esset aliquis, qui te appellaret patrem. — Conjunctivi indicant id, quod optatur, i. e. rem in cogitatione tantum positam, indicativus igitur omnino abhorreret a consuetudine Latini sermonis. — In

his autem: Ter. Heaut. 5, 4, 1: si unquam ullum fuit tempus, mater, quum ego voluptati tibi fuerim. — Cic. Mil. 26: illucescet aliquando ille dies, quum tu gravissimi hominis fidem desideres. — Virg. Aen. 10, 503: Turno tempus erit, magno quum optaverit emtum intactum Pallanta et quum spolia ista diemque oderit, poterant quidem, si voluissent, rem ut certam ponere, primo loco scribere: fui, secundo: desiderabis, tertio: optabis, ut est apud Virg. Geo. 1, 293 sq.: scilicet et tempus veniet, quum finibus illis agricola incurvo terram molitus aratro exesa inveniet scabra robigine pila; — sed ex vulgari illa Latinorum in judicando consuetudine rem, qualis ex sua cogitatione esse posset, posuerunt. —

